

P V I S




1 6 0 5

4  
1600































Jf 4600





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.







I.  
II.  
III.  
IV.  
V.  
VI.  
VII.  
VIII.  
IX.  
X.  
XI.  
XII.





INDEX SCRIPTORUM  
MINUTI VOLV MINNE HOE  
contentorum

I  
DISPUTATIONES.

- I. De Sacramentis Novi Testamenti Jo-  
achim Gazæi.  
II. De Rectâ integrâq. Ecclesiarum  
Reformatione Daniels Tossani.  
III. De Justificatione M. Wolfgangi Amlingi.  
IV. De Personâ Christi D. Andr. Prætorii.  
V. De tribus generibus Communicatio-  
nis Johannis M. Andrea Wencelii.  
VI. De Personâ Christi, D. Jacobi  
Andreae.  
VII. De Præcipuis doctrinae Christia-  
ne Capitibus: de quibus respondebunt  
pro Licentia in Theologia consequenda.  
VIII. De Imagine Dei in homine D. Joachi-  
mi Morlini et D. Martini Chemnitii.  
IX. De Sacra Scriptura D. Joh. Matthæi.  
X. De Verbo Dei Scripto et non-  
scripto D. Georgii Mylii.  
XI. De Interpretatione Græcorum  
Verborum Act. 3. Ἰσοὺν ἕως οὐ  
οὐρανὸν δεξιά. D. Schnecceri.  
XII. De Homine D. Johannis W.  
gandi.

XIII. Disputationes Physicæ de No-  
tione.

XIV. Scriptum publicè Prepositum in  
Academia Witebergensi de Coenâ.

XV.

II  
CARMINA.

De Jesu Christo

- XVI. De Natali Christi Joh. Gerbohi.  
XVII. In Natalem Christi Matthia Prætorii.  
XVIII. De Passione Christi Greg. Momenii.  
XIX. De Lapsu et Reconciliatione  
generis humani Adami Lamperti.  
XX. Precatio ad Christum, pro Re-  
missione Peccatorum Adami Lamperti.  
XXI. Precativncula pro diebus summorum  
festorum M. Melchioris Seueri.  
XXII. De Miraculosa spiritus sancti effu-  
sione super Apostolos M. Michaelis Habicht.  
XXIII. De Uicâ in sacra beneficio Helice  
exhibito Feremio Coleri.  
De Principibus  
III. Natale  
Bernhardi Principis Anhalt. M. Amlingi.  
XIV. Pro recens nato Pr. An. M. Amlingi.



**XXV.** De tribus Principibus Anhaltinis  
uno anno natis. D. Gerulafii Marstalleri  
et M. Stephani Schirmerstori.

**XXVI.** Idyllion in Nati recens nati Principis  
Anhaltini Bartholomei Frenchii.

**XXVII.** Gratulatio in Natalem Rudol.  
phi Principis Ascania M. Anlingi

**XXVIII.** In Natalem Sabinae Nymphae  
Anhaltinae M. Anlingi.

**XXIX.** Gratulationes duae Serenissimae  
PP. Dn. Friderico Comiti Palatino Ascani,  
am ingresso, et D. Joanni Georgio, Principi  
Anhaltino, cum eius Celsitud. natus esset  
Filius Henrici ab Eichen.

**XXX.** Elegia Illustrissimo Principi Dn.  
Mauricio Landgraviis Hesse ad Illustriß.  
Principes Anhaltinos optato adventu  
Henrici ab Eichen.

Gratulationes aliae ad Principes.

**XXXI.** Ei Quina ad Dn. Christianum  
Principem Anhaltinum de bello Gallico in  
patriam reditum M. Alberti Uotti.

**XXXII.** Maurus M. Alberti Uotti.

**XXXIII.** Elegia ad Illustrißimum  
Saxoniae Electorem scripta a D. Joh. Majore.

De obitu

Principum quorundam

**XXXIV.** De obitu Bernhardi Principis  
Anhaltini euleza Seruicis civitatis  
M. Nicolai Botcheri.

**XXXV.** De vita et obitu Bernhardi  
Principis Anhaltini Gerulafii Marstalleri.

**XXXVI.** Epitaphium Dn. Joh. Ernesto  
Principis Anhaltino Uionnae extincto scriptum  
ab Alberto Uoito.

**XXXVII.** De Dn. Joh. Ernesto Principi  
Anhaltini fortissime gestis M. Simonis Reinhardi.

**XXXVIII.** Beatis Manibus Dn. Joh. Ernesto  
Principis Anhaltini Julius ab Aezema.

**XXXIX.** Epitaphium Dn. Joachimi  
Principis Ascanensis M. Joh. P. Zgolds.

**XL.** Nenia in Passionem, Paanm Re-  
surrexionem Christi Augustini Altmann.

**XLI.** Oratio habita Witebergae in die  
Catharinae a D. Joh. Majore.

**XLII.** Parentatio Dni Augusto, Electori  
Saxoniae tertium facta a D. Joh. Majore.

**XLIII.** Parentatio Dni Augusto, Electori  
Saxoniae quartum facta a D. Joh. Majore.

**XLIV.** Carmina Gratulatoria Pauli Me-  
lissi et aliorum ad Davidem Parvum, qd.  
eius de gradu Doctoratus gratulantur.

**XLV.** In honorem Henrici Jagow, cum ei  
gradus Doctoratus fecerentur.

**XLVI.** Novis honoribus Magistri Dn. Isaaci  
Gregorii Serulastani.

**XLVII.** In Magistratum Ludolphi Szaderi  
cum uote in febr. notu anni auspiciu.



**XLIX.** Prooemio in gratiam Gasparis Cornerii Seulesta Diaconi, am inde in pab. etiam ad idem officium uocaretur.

**XLIX.** Honori et Memoria Abrahami à Gwonen heret.

**L.** Ouerela de misero statu nostri seculi à Adamo Lamperi.

**LI.** Allegoria pictura Christophori Georgii Thymi cum aliis ejusdem argumenti carminibus.

**LII.** In insignia Megalanchi Lutherici amplexum e carmen in laudem Panawer Anwaldmiae Benedicti Figuli.

**LIII.** Problemata quorundam uersibus in laudem à Stephano Uenatorio.

**LIV.** Propemptica, quibus Georgium Wenzeloffium ex Academia Maribionum profecti sint amicis.

**LV.** In excessum Samuelis Iruy in seruicium abeuntis.

Sequuntur jam

Epitaphia

In Auptias.

**LVI.** D. Johannis Capi

**LVII.** M. Petri Suehndek Casir Amoris Coniugalit.

**LVIII.** Johannis Hameri.

**LIX.** Gregorii Bratnamii.

**LX.** Petri Ameloneii.

**LXI.** Joachimi Ernesti Principis Anhaltini, dua Elogia Bart. Frenelii.

**LXII.** Joachimi Friderici Ducis Silesiae

**LXIII.** M. Galli Presleri.

**LXIV.** Friderici, Comitis Wirtenbergen, et Mumpelgardis, de Ordine Uotorum.

**LXV.** Johannis Georgii de Strassen, Chorus Misarum.

**LXVI.** Ambrosii Kirchneri.

**LXVII.** Aegidii Tosschertz.

**LXVIII.** M. Casparis Gotschalei.

**LXIX.** Johannis Posselti.

**LXX.** Martini Zelij.

**LXXI.** Theodorii Alamii, L.V.D.

**LXXII.** Baltasaris Kistneri J.V.L.

**LXXIII.** Joachimi Gutschami.

**LXXIV.** Joannis Rockstedii.

**LXXV.** Augustini Reinhardtii.

**LXXVI.** Christophori ab Hoym.

**LXXVII.** D. Abrahami Ratzii.

**LXXVIII.** Petri Fabri.

**LXXIX.** Stephani Herzwigii.

**LXXX.** Casparis Hamelii.

**LXXXI.** Clementis Stresomii.

**LXXXII.** Petri Wesenbecii.

**LXXXIII.** Lucae ab Enden.

**LXXXIV.** Isaaci Segleri.

**LXXXV.** D. Stephani Marzelli.

**LXXXVI.** Conradi Schröteri.

**LXXXVII.** M. Isaaci Gregorii.

**LXXXVIII.** Pauli Schustleri.

Restant

Epitaphia



**In obitu.**

**LXXXIX.** Hieronymi Bongartne  
zi caemen Wittibz a publico dicitatum.

**XC.** D. Uliti Ortelii Wirsembii.

**XCI.** M. Wolzangi Schuleri.

**XCVI.** Erii Udekmari.

**XCVII.** Laurentii Cizleri.

**XCVIII.** M. Fabaria Polj. *ad*



## ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

ILLVSTRISSIMO, ET  
FORTISSIMO PRINCIPI, AC DO-  
MINO, DN IOHANNI ERNESTO,  
Principi Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Domi-  
no Seruestæ ac Bernburgi, &c.

*Qui aduersus Christiani nominis hostem TUR-  
CAM re præclare ac strenuè gestà, recuperatâq;  
& Imperio Romano restitutâ ALBA, urbe illâ  
Pannonia REGALI, cum in Germaniam  
rediret, VIENNÆ ardenti febre extin-  
ctus, castracum astris commu-  
tauit A. D. XII.*

*De Cembrijs.*

Scriptus ab

*bl.*

ALBERTO VOITO BORVSSO.



SERVESTÆ

Imprimebat Iohannes Schleer,

Anno DoMInI Co.



LIBRARY  
UNIVERSITY OF  
MICHIGAN  
ANN ARBOR  
MICHIGAN

ALBERTO VON BROWNE  
1848



M  
O  
D  
I  
A  
C  
A  
L  
M  
S  
R  
V  
I  
P  
I  
D  
A  
T  
M  
H  
T  
A  
L







**S**æpè bonis dubiam traxit sententia mentem :  
Moribus antiquis stares, GERMANE, virisque  
Annè exhausta viris, exhaustaq; viribus esset  
Teutonis ora suis : virtusque anti qua iaceret,  
Victa situ, nunquamq; suos agnosceret ortus :

Nam dum Aquilas, Barros, Pardos, acrei q; molossos,  
Gryphes, Equos, Lynceis, Pantheras atq; Leones,  
Dum gladios, galeas, arcus, tormenta, sarissas,  
In scitis, scutisq; ducum, clypeisq; potentum  
Aspiciunt passim, per cœlum ac sydera iurent :  
Omnia plena virum, plena omnia robore Martis  
Æternùm vi stare sua : quam nemo lacestat  
Impune, vt vires Acherontis, & omnia secum  
Monstra ferat, furias, omnes Lemuresq; profundo.

Sed cum Res patriæ tanta formidine pressas  
Seruitioq; vident : dum Medus acinace Turca  
Regna rapit, capit arces, vires, oppida vastat,  
Vastat agros, vastat fata læta, boumque labores :  
Dum gladium, & flammam Pietati intentat, & Arti  
Hispanus, patulalque Aquilæ conuellerè pennas  
Pergit vterque ferox : extremaque cuncta minatu :  
Interea, quorum patriam sua cura tueri,  
Pontifices, quorumq; malis sua cura mederi,  
Dilacerant magis, & velut vnguis in vlcere regnant :  
Aut certè, ne non fortesque virique putentur,  
Tollunt è medio sapientes, vique gerunt rem ;  
Nimirum & furias, insontum sanguine placant.  
Hæc, inquam, dum sæpè videt mens ægra bonorum,  
Tunc animi, tunc corda cadunt, tunc Teutona multi  
Arma, viros, vires, nugas & somnia dicant.

Sustulit hos dubiæ mentis Deus ipse tumultus :  
Dum memor oracli, fidei memor v'que paternæ,

A 2

(Quèd



(Quòd fessam senio Pietatem imponere tergo,  
Et saluam præstare velit, licet ipsa tenacem  
Disrumpant Elementa fidem, nexuque soluto,  
Vndaque flammaque coelum orbemque inuoluat & Orcum)  
Semper in antiquam virtutem animosque parentum  
Extremo hoc mundi sæclo, tristiciue ruinâ  
Regnorum, morum, armorum, Pietatis & Artis,  
Excitat ipse Duces, quæis martia prælia cordi,  
Ut res in melius collapsas reddere curent:  
Quique sagittarum ritu ad præclara feruntur,  
Quas dextrâ bellator agens contorsit in auras,  
Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.  
In quibus ammenso splendes velut æthere Phœbus,  
Maxime Teutoniæ præses! quo sospite nunquam  
Aut res Pannoniæ victas, aut regna videbit  
Turca: nec Austriacas cursu contendet in oras;  
O pater, ô patriæ, RVDOLPHE, decusque, Deusque!  
Quem veluti sanctum Solemque, louemque sequuntur  
Illustri Pietate Duces, Mauorte, Togaque:  
Siue VRSOS armis referant, seu robore TAVROS,  
Siue AQVILAS, seu magnanimos virtute LEONES,  
Siue sacro virideis præstent medicamine RVTAS,  
Seu pernicious EQVI properent super æthera saltu:  
Dum face, succensi Diâ, dum Numine mentem  
Afflati propiore Dei, per maxima vasti  
Regna volant mundi, & superum mandata facessunt.  
Quos inter, quo te tollam vel honore vel ore?  
ASCANIA generose domo! te IANE GEORGI!  
Siue fide, seu quis dextrâ experiatur, & armis:  
Quo fratres celebrem, quo te, quo carmine dicam?  
Diis genite, & geniture Deos, CHRISTIANE! rogante  
Qui rege auxilium Gallo, qui Saxone Diuo  
CHRISTIANO, ac procerum Imperij mandante senatu  
Instantes patriæ, distastis, ductor, Iberos,  
Quis dignis coelo BERNHARDVM laudibus æquet?  
Hostibus



Hostibus haud tergo, sed fronte & pectore notum.  
Quintus hic exactis completur mensibus annus,  
Ex quo reliquias, Diuinaque Principis ora  
Condidimus tumulo, matrique sacrauimus ossa:  
Iam simul ad manes, iam fratris ad ossa IOHANNIS  
(Haud equidem sine mente reor, sine numine Iouæ.)  
Adsumus ERNESTI, quem non virtutis egentem  
Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo.

Nam quis te, iuuenum, quis te, fortissime, dignis  
Laudibus accumulēt? Fratres qui passibus æquis  
Insequeris, sequerisq; Patrem qui passibus æquis.  
Dum patriæ iugulo gladios auertis, & hostes  
Tam sæuos, tam sanguineos, tanto agmine missos:  
Dum patriam, & quodcunq; boni nunc floret in illâ,  
Sacra, Dei cultum, Libertatem atque Camœnas  
Tutaris, vitamq; in aperta pericula mittens  
Leges, atque greges defendis fortiter armis.  
Nuper, ad occasum, strauisti miles Iberos,  
Teutoniam stupris, furtis, furiisque petentes,  
Inq; duces ipsos immani cæde ruentes.  
Nec minus hoc anno, spoliis orientis onustus,  
Rorantesq; manus Turcarum sanguine, vindex  
Spondebas patriæ. Austriacas iamq; ipsemet oras  
In reditu attigeras, ducibus, populisque futurus  
Et decus, & viui specimen venerabile Martis:  
Vidit, & inuidit Mors nomina, & omina nobis  
Tanta ducis; rapidasq; manus iniecit; & ipso  
Patriæ in ingressu, victori frondis honorem  
Contulit: ætheriamq; dedit gestare coronam.  
Nosq; Ducem exanimum, nec iam mortalibus vllis  
Debentem, extremo mœsti comitamur honore.  
Hi reditus, ERNESTE, tui grandesq; triumphus.

O hominum res incertas, ô lubrica vota!  
O spes fallaces, quæ, littore sæpè propinquo,  
Dum nimis optatos festinant tangere portus,



Retro actæ, medium rapiuntur in æquor ab Euris:  
Inflictæq; vadis, vi submerguntur aquarum.  
Sed sonat interea, sonat & tonat omnis vbiq;  
Nomine terra tuo; & famam tua gloria coelo  
Terminat, immensoque volans succedit Olympo:  
Virtusque & Pietas tua maxima carmine nullo  
Fit maior, Musisque negat ditescere nostris  
Diuitiis animosa suis; iamque incola coeli  
Terras, atque altâ mortalia despicit arce.  
Quo me ducis amor? quo debita gratia tanto  
Abris Heroi? nimis ô confisa Camœnis!  
Vel certè audaci mentem confusa volatu.  
Ire iuuat, iuuat ire, obitus, tempusque, locumque  
Et pugnas lustrare ducis. Gens sera nepotum  
Audiant, ac meritos virtuti indicat honores.  
Tuque adeò! si quis sacra tibi sensus in vrnâ est,  
Suntque aliquid manes, & mors non omnia finit:  
Has saltem inferias cape; & hanc sine funera circum  
Inter victriceis hederam tibi serpere lauros.

Finierat iam verna suas Philomela querelas:  
Teutonicas cum fama volans rumoribus vrbeis  
Implet: te Patriæ, te te Procerumque ducumque  
Hortatu, & magni super omnia CÆSARIS actum  
Imperiis, Diæque excitum mentis ab œstro,  
In Scythicos dudum moliri bella latrones:  
Tympana Saxoniam confestim pulsa per omnem,  
Arma, virosque cient; pubem exhortantur in arma.

Age miles! cruce signo, duce Christo,  
Duce Anhalto, sequere Martis legiones:  
Sere plagas, mete prædam:  
Fulmine, vulnere, funere  
Funde Turcam tunde Tuream:  
Tremere, gemere, fugere, luere  
Scelera docet hostes.

Nec mora; Conueniunt audito nomine tantum

ASCA.



ASCANII ductoris, & has glomerantur ad oras  
Pulli acreis Bellonæ, & plurima victima Martis:  
Non vulgi de fece vagâ, purgaminaque vrbis  
Foeda suæ, ventres, ignauaque pondera terræ;  
Non fures, mures, lepores, sed fortibus omnes  
Insignes meritis veterani; & pectora viræ  
Prodiga pro sociis, pro libertate fideque,  
Pro natis, pro coniugibus, carisque propinquis  
Multaque pro Patriâ pugnando vulnera passi:  
Quos plagæ, quos in facie numerosa cicatrix  
Ipso pulcra loco decorat: queis corpora ferro  
Strata crepant, semperque ferus lateri imminet ensis,  
Qui flammæ oculis spirant, bellumque metumque,  
Quosque iuuat semper puluis, sudorque cruorque,  
Et fragor, & clamor prædæque ex hoste receptæ.  
Hi Sacramento sua nomina ritè professi,  
Hi tibi se dedunt, sub te tolerare magistro  
Militiam, & graue Martis opus, tenduntque; videntque:  
Quem genus, & genius PRVDENS, quem regia FORMÆ  
Maestas decoret; quem tollat Martia VIRTUS,  
Non minus hausta libris, aut Graias atque Latinas  
Docta per historias, quam patrum sanguine ducta,  
Suctaque maternis sinibus, numerisque subinde  
Aucta suis; dum mens generosa atque æmula cœli  
Perpetuo gaudens motu, volucrique rotatu  
Multorum mores hominum peruidit & vrbes,  
Seseque exactam, ritè explorauit ad vnguem.  
Culmine tam celso, tam clara in luce locata,  
Vt, quamuis annis tibi, forte & iure minori  
Cedere grandæuos Equitum peditumque magistros  
Nil pudeat tamen, atque tibi committere primas  
Imperii partes, arbitriaque aspera Martis.  
Neu gradus, annorumque pudor senioribus obstet,  
Ne iuueni parere velint, cui maxima rerum  
Verborumque; Fides, expertaque Dextera bello;

Vnde



Vnde tuo pleni iam passim milite campi  
Denfantur, iam procedunt longo ordine signa  
Sublata in ventos, lateque inimica minantur.  
Væ! quibus institerint castris, antrisq; latronum:  
Et iam Buda timet, vicinaque regia Pæsti,  
Agriaque, & captæ nuper castra vda Canisæ.  
Imò, optant potius dominos venisse priores,  
Germanos, rerum dominos, priscosq; Quirites:  
Optant & veteres iterum vidisse colonos:  
Qui face, qui ferro Turcam sequerentur, & v' tra  
Sauromatas, Pontumque, & Caspia regna fugerent.  
Iple inter medios, præstanti corpore Princeps  
Verteris, auratisque iubar diffundis ab armis.  
Nos quoque fatorum ignari, quibus ultimus esset  
Principis aspectus, faustis te in bella ruentem  
Ominibus sequimur, superantesque æthera votis,  
Multa super Domino rogitamus, & Ascane multa,  
Ascane, qui rediit fufis modo victor Iberis.  
Idecus, I nostrum! felicibus utere fatis:  
Victor & in patriam victore reuertere Christo,  
Audiit, & voti Christus succedere partem  
Mente dedit: partem volucres dispersit in auras.  
Opprimeres Scythicos felici Marte latrones,  
Annuit omnipotens: Reducem vt patria alma videret,  
Non dedit: inq; Notos vocem vertere procellæ.

Ergo ades, & ventis & fulminis ocyor alâ  
Iam tua castra locas, fluuios Drauum inter & Istrum  
Pœonios late populos, Dacosque secantem.  
Ventum erat ad belli sedem, nodumq; , moramq; ,  
REGALEM perhibent, clari cognominis, ALBAM.  
Hic vbi Rex STEPHANVS ( qui primus membra salubri  
Lauit aquâ, Christum, Christi que oracla secutus.)  
Vrbem præclaram excoluit, Templumque dicauit  
Marmoreum: atque auro prælustrem condidit arcem;  
Vnde omnis Regio, medius quam diuidit Ister,

Vitiferi



Vitiferi vnde queant colles, atq; arua videri:  
Vnde metalliferæ valles, populiq; regantur,  
Præsidiumque petant, & propugnacula bello.  
Iusserat & reliquos, successu atque ordine, reges  
Accipere hîc sceptrum, regniq; insigne coronam:  
Ossaq; regali post mortem inferre sepulchro.  
Donec aper terras vastans SOLYMANNVS & vrbes,  
Hanc etiam populans, deiectam culmine tanto  
Subiecit pedibus, miseramque immaniter arcto  
Seruitio prelsit, quinquaginta amplius annos.  
Ex illo qui nos casus, quæ monstra sequantur,  
Quanti Teutonium motus, quæ bella fatigent:  
Ante oculos, interque manus sunt singula nostras:  
Idq; vrbes populis exhaustæ, æraria nummis,  
Templa sacris spoliata gemunt, Musæq; patronis:  
Publicaque in thalamos priuatos damna redundant.

VRBEM ipsam ex omni concludunt parte paludes,  
Hinc lacus, hinc stagnum vastaque extollitur vndâ,  
Gurges, & apricis statio gratissima mergis:  
Stat circum murus triplex, circum vndiq; præceps  
Fossa, suburbia, moenia, vallum, & aheneus agger:  
Stant circum rutilum tormenta imitantia fulmen,  
Terribiles visu formæ: stant curribus altis  
Bombardæ, validisque rotis: stant ordine longo  
Quæ subito flammata vomunt, mortaria, diros  
Sulfuræ cum luce globos: olli impete magno  
Præcipitant, partesq; ignem iaculantur in omnes:  
Intus at Harpyiæ, flammisq; armata Chimæra,  
Et centum manibus Briareus, Polyphemus, & vna  
Ætnei fratres, infandaque monstra Cyclopum  
Concilio horrendo in foribus stabula alta tenebant.  
Quos neque terrore tonitrus mentita fragore  
Machina deiceret, nec mundans mille carinis  
Atrides, duplexue Ithacus, non magnus Achilles  
Frangeret, aut decies geminato milite Xerxes.

B

Auia



Ania virtuti nulla est via, & inuia nulla:  
Huc, ERNESTE, viros placet huc conuertere vires;  
Germanasq; Aquilas Scythicis componere Lunis.  
Principio, positus valido agmine & ordine castris,  
Secretum nunc carpis iter, tacitoque tumultu  
Metuis procul urbem oculis, aditusque locorum  
Exploras, curaq; agitas & dispicis omni:  
Nunc & equo vectus, paucis comitantibus, omnes  
Rimaris partes; mandanteq; Cæsare tandem,  
Cingere cum primis ductoribus ipse virorum  
Consultans, urbem certa obsidione parabas.  
Arma viri, ferte arma viri! atque obuertite vires  
Viribus, arma armis opponite, telaque telis,  
Pectora pectoribus! Sanguis, fidissimus ille  
Sanguis ANHALTINVS generoso in corde calescit.  
Bellatorque animo Deus incidit. Ocyus omnes  
Bellonæ accingunt alacres, pugnaq; parant se,  
Nocturnoq; hostem tentant superare tumultu:  
Marteq; præsentis, præsentemq; Morte paludem  
Inuadunt, pars pube tenus, pars plurima mento  
Merfa tenus, capita alta ferunt: inimicaq; telis  
Stagna secant: ruptique legunt pars fragmina Pontis:  
Pars & arundineas crates, truncosq; profundis  
Immergunt fascesq; vadis: pars grandia saxa  
Coniiciunt, v tam pars cœtera ponit in vndis.  
Apparent rari nantes in gurgite: quæ nec  
Tuta rati nec tota rotæ via. Iamq; sub ipsam  
Adnabant lucem defessi. Proditaq; hosti  
Res fuit in muris vigilanti, & cuncta videnti.  
Veriantur furia ante oculos: varioque pererrant  
Pectora discursu: nunc diruta moenia ferro  
Obijciunt animis nunc verfas funditus arces,  
Indutam flammis urbem, nidosq; latronum  
Excussis, Scythiciq; minas dirasq; Tyranni  
Audiri, si terga darent, si moenia dedant.

Protinus



Protinus accurrunt Turcæ: nec tela, nec vllum  
Tormenti interea cessat genus vndiq;: Si qua  
Parte queant, si qua muris prohibere furenti;  
Dum sparsi, madidisq; labant vestigia prima.  
At non ductori ASCANIO fiducia cessat;  
Hactenus vt coepto vellet desistere Marte,  
Aut cessisse malis: sed contra audentior ibat.  
Non secus aut duris detonsa bipennibus illex,  
Per cædes, per damna virum, repetitaque ab ipso  
Ducit opes, ducitq; animos per vulnera ferro.  
Continuò assistit sociis, firmatq; labantes,  
Castigatque, virgetq; moras, releuatq; iacentes  
Instaurans, aciemque novat, reuocatque ruentes:  
Inspiratque mares animos, & Martia corda.  
Ipse inter primos volitans, primusque suorum  
Exultans armis, & luce tremendus athena,  
Altè effert telo dextram vibrante coruscam:  
Ipse manu sua pella gerens præcessit anhel  
Militis ora ferus, monstrans prosternere Martem,  
Non solum mandans: primaq; in sorte, furenti  
Primus in hoste fait: superauit moenia primus  
Successu augusto: primus victricia signa  
Ostentabat ovans vallo: sociosque vocabat,  
Adduci tormenta iubens, plumbumq; pilasq;  
Emitti: scalas apponi moenibus: igneis  
Inferri: triplicique hostes inuadere pugna.  
Nec secus ac iulsi faciunt. iam fulgura fundit,  
Iam tonat immani crepitu cava machina: & ictis  
**Sic**ra iam reboant muris, longeque resultant:  
Iam propius cuneis subeunt: iam grandine plumbi  
Fossarum ex imo, post propugnacula Turcas  
Reprimere vsq; parant: pelluntq; in moenia retiò.  
Tum verò tremefacta noua formidine passim  
Turba ruit Thracum: tantoque impulsa tumultu  
Qua furor attonitos insanis cædibus virget,

B 2

Hac



Hac coeunt, densique fremunt: vocat ultimus omnes  
In sua fata labor: celloque à culmine turris  
Missilibus coelum obscurant: & sulphure iacto  
Pondera deuoluunt trabium, vastosque molares:  
Scandentumque petunt clypeos, pelluntque premuntque  
Præstantesque secant dextras: & acinace curuo  
Brachia detruncant: proturbantque abiete longâ  
Contra assurgentes, stantesque in culmine muri:  
Et ferrum flammis, ferroque incendia miscent,  
Fœmineique greges, vndis feruentibus imbrem  
Igne pluunt liquido, cursim sub athena fluentem  
Tegmina, & vrentem fluitanti corpora flammâ.  
Ecce! alibi densus facta testudine Teuto  
Imminet, ascensumque ipsas molitur ad arces:  
Pars scalas addit, qua rarior emicat hostis,  
Pars ignem injiciunt, pars ferrea claustra refringunt:  
Pars & murali conuellunt ariete portas:  
Bombardasque graues simul, immanesque Petardas,  
(Vabcurti inuentum perhibent memorabile Galli)  
Exonerant: diro sonitu globus æreus auras  
Verberat: ac grandem armorumque virumque ruinam  
Dat latè: it per tecta vago Vulcanius ardor  
Flammarum saltu: sternuntque, caduntque vicissim  
Christiadæ: creperis nutat victoria pennis,  
Cui palmam tribuat. Ruit, en, ruit, ecce, reuulsus  
Scalarum è gradibus, contortuplicataque membra  
Multiplicat glomerans miles simul, atque tribunus:  
Centurioque ruit, quo non praestantior alter  
Antepolare viros, aduersaque in agmina ferri:  
Et ferro instantes prosternere cominus hostes:  
Primus adire manu bellum, prostremus abire  
Consuerat: primus scalis conscendere muros  
Atque expugnatae signum dare moenibus vrbis,  
Inde ruunt alij, fractis ceruicibus efflant  
Mox animas alij: tardati vulnere, & artus

Con-



Contusi, clypeis aliqui, ad ioca tuta feruntur.  
Nec tamen aduersis pulsi minus ire laborant,  
Quin potius magis audentes in moenia sese  
Proripiunt, Turcasq; vocant, Turcasque trucidant.  
Iam clypeus clypeo, pede pes, hæretque viro vir:  
Miscenturque duces, partesque hortantur in arma:  
Fronsq; premit frontem, pluit & furit vndique Mauors.

Hic opus, hic animis, hic pectore & Hectore, clamat  
Ductor ANHALTINVS: Durate, state, virosque  
Præstate, ASCANIVM hunc vestrum spectate ducemque!  
Auctor ego audendi, Christo duce & auspice Christo.  
Dixerat. Inde animos aliis facturus, in auras  
Euolat, atq; arcis medio stetit aggere summæ,  
Terribili intrepidus vultu: meruitq; timeri  
Nil metuens, magnisque obruncat viribus hostem,  
Arceq; vi potitur: simul ad penetralia tendens  
Intima quæq; fero petit & metit obuia ferro.  
Tum magis atque magis penetrans in moenia miles  
Succedit, tectus scutis, & casside fidâ.  
Fit via, vique viam per & inuia & auia rumpunt;  
Clasica dant vires, impulsaque tympana plectris  
Corda acuunt, & mixta graui tuba Martia cornu.

Age Teuto! tege pectus bene scuto,  
Opus armis; cape ferrum, rape telum  
Prece factâ, face iactâ, rege dextram,  
Gere bellum, nece multâ pete Turcam:  
Vome flammam, dato damnum, trahe prædam  
Quatere cunctos, ruere cunctos, furere cunctos,  
Sternere decet omnes, perdere decet omnes, mergere decet omnes  
Rumpere, plectere, pellere, vellere,  
Fundere, findere, scandere, scindere,  
Edere, bibere, canere, strepere,  
Premere, fremere, fremere, premere

Decet omnes

Atq; triumphalem post prælia ducere POMPA M.

Nec mora, nec requies: sub signa exercitus omnis

B 3

Cogitur



Cogitur, atq; manu factâ, qua diruta pandunt  
Claustra viam, nuadunt: rupto velut aggere inundans  
Danubius, quoties nix plurima montibus altis  
Liquitur, & virideis tumido ruit agmine sylvas.  
Barbara turba cadit, postrata cadauera utrinq;  
Fine carent: Terra ingenti sub cæde sepulta est.  
Duxque salutatur VICTOR: super omnia Christo  
Christo accepta duci fertur VICTORIA, CHRISTO:  
Nostraq; successus habuerunt vota secundos:  
Tolluntur Geticæ extemplò Lunæ, altera turrets  
Signa gerunt: Aquilas Germano more, crucesq;  
Christigenum, danturq; nouis custodibus arces.

Cæsaris interea campos & castra relinquens  
Vicina ingreditur, LEGATVS, & accipit urbem:  
Armatusq; sedet portis, numerumq; suorum  
Lustrat agens: sortemq; urbis miseratur acerbam:  
Amisosq; duces, & fortia pectora plorat,  
Nobilis Ascaniæ, ante alios, telluris alumnos:  
KOTSCHIADEN, fidum Ernesti ductoris Achatem:  
Signiterosq; duces, queis, dum stant aggere summo,  
Hortanturq; viros, pectus glans rupit athena,  
Rupit & in centum rapuit, miserabile, partes.  
Hos ille, atq; alios, horum, inquam, fortia secum  
Facta putat: jubet hinc inuentos condere terrâ:  
Hinc munit portas, hinc postes cardine fulcit:  
Hinc vallum, hinc muros, concussasque inspicit arces:  
Attollitq; novas moles, vigiliq; pererrans  
Omnia scrutatur visu, tormenta que ponit  
Ordine, munitos longè tutantia muros:  
Colla q; Christi adum vinculis & carcere soluit:  
Captiuosq; legit Bassas, quos munera Cæsar  
Accipiat, pars & tristi religata catenâ,  
Seruitium passura, graueis seruat in annos.

Non te hic transferim præco, SCVBARTE, Iehouæ:  
Qui, dum bella gerit Dux vester, & imminet hosti:

Tuq;



Tuque, velut Moles Iosua pugnante, supinas  
Ad caelum cum voce mausus, & brachia tollis:  
Ancipitemque rotas gladium, sanctoque Tonantis  
Ore tonas, addisque animos, & pectora firmas:  
Verbo, non ferro prosternens mille viros vir:  
Ipse cadis morbo, & media inter fulmina belli,  
In castris, sicco vitam cum funere mutas.  
Sed bene habet: tibi enim tibi iam Fortuna peracta  
Est tua: nos alia ex alijs in fata vocamur:  
Et tibi parta quies: nobis falsum æquor arandum.  
Tempus erit, quo nos rursus per sidera Christus  
Iunget, & æterni vinclo sociabit amoris.  
Quas voces audisse ferunt, quibus vltima dixit  
Verba: VALETE, aut hinc iterum aut super astra videndi!  
Sed metuo, ne, dum tot magna hinc inde putantur  
Falce necis membra, atque artus de corpore toto  
Militiæ; tandem CAPVT ipsum, atque ipse sequatur  
Dux, oculusque virum, truncumque gregemque relinquat.

Ductor at ASCANIUS gestis bene rebus, ab vrbe  
Dum redit in campum, vicinaque castra reuisit:  
Fraude loci, & spacijs scopulorum inclusus iniquis,  
Pressus & infidijs, & montis faucibus arctis,  
Agmine tam peditum, quam quadrupedante Getarum  
Obruitur turmâ. (DVCLIS ingenium, geniumque  
Res aduersæ aperire solent, operire secundæ)  
Quid faciat? socijs non hac fuga tuta, nec illac:  
Nec virtus dare terga Ducem inspectata sinebat.  
In medios, fretus superis, & Marte secundo  
Irruit, ac sæuam nullo discrimine cædem  
Suscitat: irarumque omneis effundit habenas:  
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen  
Ardens limitem agit ferro hostesque immolat Orco:  
Semineces voluit multos, aut agmina victor  
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.  
Multos ense lecat medios, & barbara monstra

Mactat



Maestat agens præ se, dextrâque in Tartara mittit.  
Nec quisquam Thracum instantem, letumque ferentem  
Sustentare valet telis, aut sistere contra.  
Miles, equesque perit Scythicus, lateque vagatur  
Ensis, & à nullo reuocatum est corpore ferrum,  
Sic potitur campo, socios sic vindicat umbris:  
Castraque ab incurso Turcarum liberat ultor:  
Sic sua CIVILI redimitus tempora quercu,  
MVRALEM pariter, valli que insigne recepti  
CASTRENSEM, merito DVX gestat honore coronam:  
Quam neque bruma rigens, albis vestita pruinis  
Decutiat, rapidâ neque lampade Phœbus adurat.

Sed testor te cana Fides! fastigia rerum  
Me modò summa sequi, & tantùm paucissima grandi  
E rerum cumulo, ac multorum gesta dierum  
Pressius ac strictim properante attingere Musa.  
Stant etenim illustri, stant celsa in luce, nec vltra  
Vocis egent nostræ: & RERVM MONVMENTA SVPER.  
Sic tabulæ pictor cupiens inscribere parvæ (SVNT  
Agmina magna virum, non totos corpore toto  
Pingit, sed densos angusto contrahit orbe:  
Artifice inuoluit quosdam caligine & umbris:  
Quosdam vix capite atque ex tanti vertice prodit.

Iamque propinquabat squallenti frigore mundo  
Tristis HYEMS castris, rebusque inimica gerendis:  
Iam riget omnis ager, friget Mars, arma filescunt:  
Cumque suo hybernis claudit se milite Turca:  
Nec castris gaudet, campo neque fudit aperto:  
Sed pernicis equi stimulans calcaribus armos,  
Fertur in Eoas, per inhospita tesqua, latebras,  
Teutoniam ASCANIVS patriosque reuulere fineis  
Cogitat, ac socias secum reuocare cohorteis.  
Iamque intrabat ouans Augustæ tecta VIENNÆ,  
Protinus ingentem, foribus domus omnis apertis,  
Ritè salutantum, totis vomit ædibus undam:

Matres,



Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ  
Excipiunt plausu reducem, fremituque secundo.  
Dumque ibi more patrum virtuti præmia, grates  
Militibus, ducibusque parat persolvere CÆSAR,  
Cerasque, & tabulas fidei, documentaque Martis  
Obsignare iubet, meritos testatus honores:  
Heu mihi! quas grates, quæ munera Parca rependit,  
IANE ERNESTE, tibi? Febri, ecce, perustus anhelâ  
Occidis, heu! iuuenis senis quater integer annis.  
Flos veterum, virtusque ducum, lux Ascanis oræ!  
Occidis, heu! Geticæ quem non valere phalanges  
Sternere, letiferis ruerent licet vndique telis:  
Cui toties Mauors, cui Fors, Fortunaque fauit,  
Quem fouit Bellona sinu, Mors deuouet umbris:  
Deuouet illa quidem, sed & hæc superata vicissim  
Vincitur à victo, victoris munere Christi.

Quam verò fragilis vita est? quam nescia fati  
Mens hominum, fortisque suæ mortisque futuræ!  
Quam subitæ miræque vices! morbi, ecce, Kalendæ  
Principium, finemque Eidus videre DeCembrels.  
Vidimus hic Lunam, funestas ante Kalendas,  
Vidimus & Solem, fataleis circiter Eidus,  
Obductum tenebris, mœstos agitare iugales,  
Et ferrugineos terris ostendere vultus:  
Penè etiam lacrumis totus descendit Olympus  
In gremium terræ: fecerunt prælia venti:  
Intremuit tellus, fuit intractabile coelum.  
Quæ nos cuncta queant, si mens non læua fuisset,  
Heu! nunquam coelo spectata impunè mouere.  
Multusque Astrologus, cum multa horrenda moneret,  
Quæ sunt ante pedes, oculosque ante omnia nostros,  
Non hos prædixit luctus, euentaque nobis.  
Dicitur ipse tamen, (si ritè audita recordor)  
Ipse Pater Patriæ IOANNES, mente, GEORGVS,  
Diuinâ, motusque graues, caluque sinistros

C

Præ



Præfagisse animo, campis dum equitavit apertis,  
Et Solis faciem defectam lumine vidit:  
Ardua multa mouens secum, superosque precatus:  
Ritè secundarent visus, omenque leuarent.

Verùm, seu dixit Deus hæc, seu fixit in astris,  
Stat sua cuique dies homini: stat fixa, refigi  
Nescia lex fati: Breue, & irreparabile tempus  
Omnibus est vitæ: sed vitam extendere famâ,  
Hoc VIRTUS præstat: nec lapsi segniter anni  
Pangendi meritis: dum, quos Deus æquus amauit,  
Ut vulgum ante, petant maioribus ire per altum  
Auspiciis, populisque parent miranda futuris,  
Ante annos animosque gerunt, curasque virileis,  
Et virtute, suo surgunt velocius æuo.  
Tantumque ostendunt terris hos fata, nec ultra  
Esse sinunt: qualem te, dux ERNESTE, fatetur  
Imperii præses CÆSAR, cum fratre, Rudolphus:  
Et quotquot noti superant vbicunque honorum,  
Ignotique simul, iam cassum lumine lugent:  
Te quod præsidium, te quod tutamen in armis  
Tantum, tam carum, tam rarum PATRIA perdat:

Nos etiam seros grati referemus ad annos,  
Factaque virtutesque tuas: dumque Ister & Albis,  
Dum Rhenus fluctus voluent, dum Moenus arenas  
Versabit: quotiesque viris à fortibus olim  
Mentio facta Ducum fuerit, qui prælia forti  
Pro Patria gessere manu, pro nomine Christi,  
Te quoque promerita decorabit adorea laudis:  
Historicique suis donec bella Vngara libris  
Inscribent: semper Turcarum terror ANHALTVS,  
Semper honos, nomenque tuum, laudesque vigebunt:  
Ac tua venturi vatam celebrata nepotes  
Carminè gesta legent: & cano traditus æuo  
Notus eris ducibus, decus exemplarque futuris:  
Ut simili in patriam plures Pietate ferantur.

Est



Est aliquid turmas hostilibus vincere. Verum  
Nobile vincendi genus, hostem vincere summum  
Humani generis, constanti pectore, MORTEM.  
Vnde velut suaueis halabas viuis odores,  
Vndique te lectis virtutum floribus ornans:  
Sic, moriens, magnum famam diffundis in orbem,  
Quid dextra posses, quid posses Marte cruento,  
Spectatum satis est: restabat, ut ipsemet acri  
Vincere te velles lucta: hanc Mors, ultimus hostis,  
Accumulat tribuitque tibi, fortissime, palmam.  
Ergo, instare tibi supremæ ubi tempora vitæ  
Sensisti, vultu atque habitu sic semper eodem,  
Visus es expectare propinquæ spiculæ Mortis,  
Ceu solitus Getici contemnere spicula Martis:  
Tum precibus cœlum expugnas, tum pectore firmo,  
Constantique fide, stellatam præripis arcem,  
Tantumque exuias Morti cum corpore linqvis,  
Sed victori animam Christo transcribis ouantem:  
Quæ patriam repetens, è castris tendit ad astra,  
Et recto ad superas conscendit tramite sedes.  
Seque Dei illatebrat manibus, Diuisque tuetur  
Permixtos Heroas, & ipsa videtur ab illis:  
Ætheriasque habitat sedes, & lucida pictis  
Templa poli flammis: ubi cantu, ubi cuncta resultant  
Laude Patris supremi: ubi pax altissima belli  
Compensat curas, non classica Martia possunt,  
Non damna, aut cædes vitam turbare beatam:  
Hæc finis tanti Ductoris, hic exitus illum  
Morte tulit: quem duri in prælia Martis euntem  
Vicit amor Patriæ, cœlique immensa Cupido.

Quis verò illustri, quis leges dicere flendi  
Ausit ANHALTINÆ domui? quis ponere morem  
Maternis lacrumis? quis Fratribus, atque Sororum,  
Affinique choro procerum lenire dolorem  
Sustineat? quondam etiam est, si vera fatemur,

C 2

Res



Res generosa Dolor, longus licet: umbraque tanti  
Pulueris, æterno debet deflerier æuo.  
Sæpe puer, Patri, teneris præreptus in annis,  
Immensum desiderium luctumque creauit,  
Hoc solum, quod natus erat: quem postea Clotho  
Sustulit, ac primis surgentem incidit aristis,  
Spem tantum: Humanæque iubent ignoscere leges.  
Hic verò, non SPES ultra, sed Rebus agendis  
Aptus, Aups retulit, diuinaque facta Parentum:  
Vnde dolor maior, quo RES iacturaque maior.

Ecquis tanta tamen solando vulnera sanet?  
Non Philomela queat, non cantu doctus Arion,  
Non queat Amphion. Thebanæ conditor arcis  
Damna leuare sono testudinis, & prece blanda:  
Non queat, Eurydicen qui voce reduxit ab umbris,  
Ardentis animi, Vates, extinguere luctus:  
Tu, pie CHRISTE, potes: dulcis tibi copia fandi:  
Tu patris Orator; tu fons, tu vena salutis.  
Verbaque proloqueris viuos fundentia succos:  
Tu lacrimas moderare pias: tu Fratribus adde  
Adde animum ducibus: tu cælo suffice vires:  
Et Viduam solare, DEVS, solare PARENTEM!  
Vt tantos valeant casus æquare ferendo:  
Atque suos supra exurgant virtute dolores.

Et quoniam, sanctis benè te dicente Hymenæis,  
Illustres turgent generoso pignore MATRES:  
Exhilara patriam post luctum, rursus, acerbum:  
Exhilara Illustres Dominos, IANVMque, GEORGVM,  
CHRISTIADENque; Patres, Da, Mater vt vtraque salua,  
Altera BERNHARDVM producat, & altera IANVM  
ERNESTVM, Getici quondam duo fulmina Martis,  
Heroes Pietate graues, grauidosque triumphis.

FINIS.



Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X




SB.


V077











XXXVI.

35

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ  
ILLVSTRISSIMO, ET  
FORTISSIMO PRINCIPI, AC DO-  
MINO, DN IOHANNI ERNESTO,  
Principi Anhaltino, Comiti Ascania, Domi-  
no Seruestæ ac Bernburgi, &c.

*Qui aduersus Christiani nominis hostem TVR-  
CAM re praclare ac strenue gesta, recuperataq;  
& Imperio Romano restituta ALBA, urbe illa  
Pannonia REGALI, cum in Germaniam  
rediret, VIENNAE ardenti febre extin-  
ctus, castra cum astris commu-  
tauit A. D. XII.*

*De Ce Mbrls.*

Scriptus ab

*bl.*

ALBERTO VOITO BORVSSO.



SERVESTÆ  
Imprimebat Iohannes Schleer,  
Anno Domini 1700.

